



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

1. Hic Vbi Lvda Vetvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

LVDA AD AMBRAM.

I. **H**IC VBI LVDA VETVS. *Ludam* seu *Lugdama* à Carolo M. illic castra metato, ad similitudinem *Lugduni* Galliarum, *Lugidunum* Saxoniae appellatum esse fingit Joannes Pideritius in Chron. Lippiensi. pag. 205. Huic fabulae aliam aequè incertam nominis originem attexit Ioannes Seilerus in Chron. Pymontano MS. cap. 20. Verum nomen exhibet nobis vita Caroli M. apud Pithæum, ubi *villa Luidi* nuncupatur; quod apud Reginonem ad An. 784. *Linhidi* pro *Liuhidi* corruptum legitur. Vetus nomen tempore Immadi Episcopi Paderbornensis, qui An 1052. cœpit, & An. 1076. desijt, adhuc obtinuit. testes sunt literæ antiquæ, quæ sic habent. *Notum sit omnibus tam futuris quàm presentibus, qualiter VVirinbertus, cum consensu & laude filij iustissimi heredis sui Bovonis, duo curtalia in pago Thietmelli, & in villa Aldenthorpe, & XL. jugera, & X. jugera in Remikenshusun, & insuper medietatem cujusdam sylvulae in Bennenberge sanctæ Patherbrunnensi Ecclesie, & domino ac venerabili Immado ejusdem sedis Episcopo in proprium tradidit, legavit, concessit, ea videlicet ratione, ut præfatus Episcopus Immadus tres villas Odisthorp, Lavenhusun, Thesperi, ad Ecclesiam, quæ in Odisthorpe sita & consecrata est, terminaret, & in terminationem Episcopali banno terminaret. Quod ut firmitus, ac magis ratum inconvulsimque permaneat, idem VVirinbertus Ecclesie, quæ est in LIVITHI, & VVidikindo presbytero, de cujus parochia tres præfate villa sumptæ sunt, ipso annuente, & collaudante unum mansum in Vbbenbrocke in proprium tradidit, condonavit. Quod si præfatus Episcopus, vel aliquis successorum ejus terminatio-*

neris

nem hanc infringere, & prædictas villas auferre voluerit, liberam habeat potestatem *Wvirinbertus*, vel heres ejus sua recipiendi, vel quod voluerit inde faciendi. Hi sunt testes *Bernhard, Ibo, Benno, Bernhard, Wviribrach, Thiammo & Wvirinzo, Besce- lin, Acelin, Brunig, Hocil, Ermindag, Ekbraht.*

Quantum ex vetustis literarum monumentis licet colligere, primi hujus urbis domini fuere Comites de Hallermundt, & deinde nobiles Domini de Homburg, ex quibus *Wernerus nobilis Dominus de Homburg An. 1003.* filiam suam *Adelheidam Sigefrido Comiti de Eberstein* in matrimonium dedit, *Ludamque* dotem despondit. Quam longo post tempore *Eberstenij* possederunt, & *Albertus Comes de Eberstein* ære alieno oppressus An. 1212, Abbati *Corbejensi* primò oblatam, sed per somnolentiam, ut ferunt, neglectam, *Paderbornensi Episcopo* vendidit. *Ioannes Seilerus* in *Chron. Pymontano MS. cap. 21. & 22.* Cæterùm graves ac diuturnæ, de Comitatu *Pymontano & Ludensi præfectura, cum Spiegelbergijs, Lippiensibus, Gleichijs, & Waldecensibus Comitibus* subinde exortæ lites, quæ multo utrimque sanguine, ac damnis impensisque maximis steterant, faustis denique auspicijs An. 1668. compositæ, constabilita in *Pymontanum Comitatum* successione *Paderbornensis Ecclesiæ*, & omni *Ludensis agri* jurisdictione eidem transcripta, nunc tandem conquiescunt.

2. AMBRA PERERRAT AGROS. Sic ad An. 784. appellatur *Astrono.* apud *Reuberum.* Auctori vitæ *Caroli M.* apud *Pithæum.* *Adelmo.* *Regioni.* & Poëtæ *Anonymo.* Accolis est *Emmer*, quæ sub radicibus silvæ *Teutoburgiensis* in *Paderbornensi Diœcesi* oritur, & *Steinhemium, Schidram, Ludam,* & arcem *Pymontanum* prætervecta, in *Visurgim* effunditur. AMBRO-